

Ex libris  
Karoli Otto.



7953

DISPUTATIONE IN DIVINITATE  
ET TRINITATE TRINITATIS INSPIRATAE ET DEFENSATAE  
A FRANCISCO DE MELLO VIANA

DISPUTATIO IN FIGURALIBUS

DISPUTATIO IN PHYSICOLOGIA ORDINIS  
SOCIETATIS SANCTI IACOBI

DISPUTATIO IN UNIVERSITATE VIADRINA

DISPUTATIO IN PHILOSOPHIA HONORUM

DISPUTATIO IN THEOLOGIA

DISPUTATIO IN METAPHYSICA

DISPUTATIO IN LOGICA

DISPUTATIO IN PHYSICOLOGIA

DISPUTATIO IN METAPHYSICA

DISPUTATIO IN LOGICA

DISPUTATIO IN PHYSICOLOGIA

DISPUTATIO IN METAPHYSICA

DISPUTATIO IN LOGICA

DISPUTATIO IN PHYSICOLOGIA

DISPUTATIO IN METAPHYSICA

DISPUTATIO IN LOGICA

EPISTOLAE NONNULLAE SUB JULII I.  
NOMINE DIVULGATAE,  
EMENDATAE, VOCALIUM NOTIS INSTRUCTAE, LATINE VERSAE.

---

# DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

A. D. XIV. KAL. JUL. ANNI MDCCCLXII

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET AUCTOR

JOSEPHUS FRANCISCUS AUGUSTUS VEITH  
SILESIUS

CONTRA ADVERSARIOS:

G. DOBLER,  
H. ROSENBERG, { SEM. REG. THEOL. SODD.  
R. ROTHER, CAND. THEOL. CATH.

---

VRATISLAVIAE,  
TYPIS GRASSII, BARTHII ET SOCII (W. FRIEDRICH).



II-9179

REVERENDISSIMO ET CELSISSIMO

DOMINO DOMINO

## HENRICO FOERSTER

PRINCIPI EPISCOPO WRATISLAVIENSIS,

SANCTITATIS SUAE PII PP. IX. PRAELATO DOMESTICO,

PONTIFICIO SOLIO ASSISTENTI,

SEDI APOSTOLICAE IMMEDIATE SUBJECTO,

S. S. THEOLOGIAE DOCTORI,

INTER PRIMARIOS AQUILAE RUBRAE NECNON CORONAE FERREAE EQUITES

ETC. ETC.

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

TANQUAM EXIGUUM REVERENTIAE ET GRATITUDINIS  
SUMMAE DOCUMENTUM

D. D. D.

AUCTOR.

## PRAEFATIO.

---

St. Julium, quintum et tricesimum St. Petri in sede Romana successorem, natione Romanum et patre rustico ortum, Constantino Magno imperatore, Feliciano et Tiliano coss. anno 337 p. Chr. n. a. d. VIII Id. Febr. sedem apostolicam ascen-  
disse et Constantio imperante, Constante V et Constantio Caesare coss. anno 352 pridie Id. April. (quo die ejus memoria ab ecclesia catholica colitur) ad superos migrasse, liber pontificalis Damasi papae exhibit. Ecclesiae igitur praefuit annos XV, menses II, dies VI. Alii alios mensium dierumque numeros afferunt. Pontificatus ejus tempora valde turbulentia atque periculosa erant, quum praeter alios haereticos impri-  
mis Ariani vel Eusebiani omni vi contra orthodoxos ecclesiae-  
que fideles pugnarent. Cujus haereseos historiam, quippe quae omnibus satis nota sit, hic latius exponere, longum est neque ad rem pertinet.

Duae St. Julii epistolae, quarum unâ Antiochensibus, con-  
cilio Romae habito, respondet, alterâ Alexandrinis Athanasium Roma proficiscentem et in sedem Alexandrinam revertentem (a. 346) commendat, in operibus St. Athanasii graece exstant.

Quas epistolas aliaque ejus scripta silentio praeterimus,  
quum non nisi eas epistolas, quas Paulus Lagardius, vir de litteris syriacis bene meritus, in libro, cui titulus: „*Analecta Syriaea*,“ Lipsiae et Londini 1858, a pag. 67 usque ad p. 79 incl. ex codicibus manuscriptis Nitriensibus, nuper in-

ventis et in Musaeo Brittanico exstantibus prelo subjiciendas curavit, et quae St. Julii nomen prae se ferunt, tractaturi simus. Epistolae hae sunt:

1) ad Dionysium, 2) ad Prosdocium, 3) fragmentum quoddam, 4) epistola encyclica, 5) fragmentum, ut videtur, cuiusdam epistolae, cuius titulus non exstat, 6) fragmentum epistolae sub 8) notatae, qua de causa in tractanda hac epistola illius lectiones varias notabimus, 7) epistola ad eos, qui contra incarnationem Verbi pugnant ea de causa, quod consubstantiale est, 8) epistola (quinta) de unitate in Christo et de corpore cum divinitate Dei Verbi composito.

Maxima ex parte epistolae hae antea jam cognitae erant, graece exstantes, sed permulti viri docti eas genuinas esse negarunt. Fusius de epistola ad Dionysium, jam dudum divulgata, disseruerunt, ceterae vero epistolae aliquanto post repertae preloque subjectae sunt.

Qua de causa de illa ad Dionysium epistola primo loco quaestionem instituamus. Cujus fragmentum jamjam Leontii (qui Justiniani I aequalis fuit) adversus fraudes Apollinaristarum liber et extremam ejus partem vetus codex graecus adhibebant. Porro in historia patriarcharum Alexandrinorum, quam Eusebius Renaudotius scripsit, Joannis Antiocheni patriarchae, qui medio seculo decimo vivebat, synodica epistola assertur, in qua nostrae epistolae verba sic laudantur: „Idem quoque in epistola ad Dionysium episcopum Cypri sic ait: Dum confitentur naturas duas, coguntur unum adorare, et alterum non adorare. In eo, qui divinus est, baptizantur, et in eo, qui homo est, non baptizantur. Porro cum in nomine Christi baptizemur, naturam unam confitemur divinitatem et corpus passibile, ut baptismus noster sit in Deo et morte Domini.“

Quae quidem a Joanne Antiocheno velut St. Hippolyti Romani verba allegantur, sed in nostra epistola leguntur. Totam epistolam Antonius Muratorius ex Ambrosiano codice graece una cum versione latina et docta dissertatione primus edidit in opere suo, cui „Anecdota Graeca“ nomen imposuit. Iterum impressa est in libro, cui titulus: Opera, quae exstant, universa Constantini Magni, Victorini etc. etc. Parisiis 1844.

— Eadem epistola et ab Eutyche (in Synodico epp. 222 et 223) et ab Eutychis discipulis (apud Facundium lib. I, op. 5) et ab Acephalis seu Severianis (in collatione anno 533 Constantinopoli coram Justiniano imperatore habita) laudatur. Gennadius quoque in lib. de scriptoribus ecclesiasticis ep. 2 de ea haec verba fecit: „Julius urbis Romae episcopus scripsit ad Dionysium quendam de incarnatione epistolam unam, quae illo quidem tempore utilis visa est adversus eos, qui ita duas per incarnationem asserebant in Christo personas, sicut et naturas: nunc autem perniciosa probatur, fomentum est enim Eutychianae et Timotheanae impietatis.“ Quibus verbis relatis centuriatores Magdeburgenses (Cent. IV) addunt: „Adduxisse ex eadem epistola testimonium de persona Christi videtur Cyrus Alexandrinus in Apologetico suo hoc modo: „„Praedicatur ad completionem fidei et incarnatus ex Virgine Maria Dei Filius, qui et habitavit in hominibus, non in homine energiam operans. Hoc in prophetis et apostolis: perfectus Deus in carne et homo perfectus in spiritu, non duo filii; unus quidem germanus filius, qui suscepit hominem, alter vero mortalis homo, qui assumptus est a Deo, sed unus unigenitus in coelo, unigenitus super terram.““ Denique centuriatores adnotant: „Citat idem testimonium ex Epistola ejus ad Prosdocium synodus Chalcedoniensis contra Eutychen.“ At neque Gennadium neque centuriatores epistolam ad Dionysium accurate cognovisse, appareat; quum illa verba non epistolae nostrae, sed epistolae ad Prosdocium datae pars sint; praeterea nullum concilium, nulli ecclesiae catholicae patres epistolâ ad Dionysium datâ ad Nestorium refutandum unquam sunt usi; sed quum in actis concilii Ephesini contra Nestorium (non in concilio Chalcedonensi contra Eutychen) St. Julii verba supra allata, sint allegata, Gennadius, homo latinus, et eum secuti centuriatores epistolam ad Dionysium datam eandem ac illam in Ephesino concilio (sess. I, quae a. 431 a. d. X. Kal. Jul. celebrata est) citatam habuerunt. Omnino vero diversae sunt illae duae epistolae.

Facundus, episcopus Hermianensis, Justiniano regnante, adversus Eutychianos et Acephalos, unam solum in Christo naturam statuentes, scripsit (lib. I, ep. 5): „Quid autem il-

los contra haec evidentissima patrum testimonia juvare poterit, quod in assertionem vanissimi sui erroris dicunt, Julium Romanum episcopum nescio ubi rescriptsse, quod una sit Christi natura? qnum in eadem sancta synodo Ephesina hoc solum ipsius B. Julii contra Nestorium recitatum fuerit ex epistola ad Prosdocium, in qua ait: „,Praedicatur vero ad supplementum fidei et incarnatus ex Maria Virgine etc. (v. s.).“ “Integro loco illo citato pergit: „Non aliud praeter hanc ad Prosdocium epistolam ex dictis B. Julii in illa synodo prolatum est, si qua forsitan alia scripsit, neque ex hac epistola aliud amplius. Cur igitur non quod de una Christi natura isti circumferunt tanquam ab ipso B. Julio scriptum, vel quaeque similia, quae scripsisse autumant alias venerabiles patres, in synodo recitata sunt contra Nestorium? Nam ipsa magis ejus dogmati contraria videntur.“

Julium hujus epistolae auctorem non esse, ex eo concludendum videtur, quod neque Eutyches neque Dioscurus illa epistola suas doctrinas confirmare atque corroborare studuerunt; nam si ab omnibus haec epistola genuina habita esset, certe ea usi fuissent, quippe quum auctoritas vicarii D. N. maximi momenti fuisse. — Ut Facundus, ita Eulogius Alexandrinus, qui apud Photium cod. 230 scripsit: Ἀλλὰ γὰρ ἡ χρῆσις, ἣν ἡ αἰρεσίς προζομίζεται ἐκ τῆς πρὸς Αἰονίστον ἐπιστολῆς τοῦ Ἰωνίου Ῥώμης ἀναμφίβολον μὲν οἷς ἔχει τὸ γνήσιον, et Hypatius, Ephesiorum antistes, qui in collatione cum Acephalis Constantinopoli habita (v. s.) dicit: „Beati Julii famosam illam epistolam manifeste Apollinaris ostendimus fuisse scriptam ad Dionysium,“ hanc epistolam suspectam, imo suppositam habuerunt. Satis autem cognitum est, illis temporibus haereticos aliis quoque patribus scripta supposuisse, ut pravae doctrinae magnis illis nominibus auctoritatem adipiscerentur. Sic e. g. Diognitus quidam falsas litteras confinxisse in epistola synodi Sardicensis ad universas ecclesias traditur; sic Felici papae, Gregorio Thaumaturgo, Athanasio, aliis opera nonnulla supposita esse, constat. Evagrius de Eutychis et Dioscuri discipulis haec verba protulit: „Multos quoque Apollinarii libros Athanasio et Gregorio Thaumaturgo et Julio falso adscriperunt.“ Idem nefas Marcianus imperator sub

finem epistolae ad Alexandrinos monachos (Chalced. concil. III, 8) quibusdam Eutychis discipulis tribuens: „Qui, inquit, libros Apollinarii non dubitaverunt plebi dispergere, vocabula sanctorum patrum eis attitulantes, quatenus ad plenum simplicium mentes sua falsitate deciperent.“ Leontius denique multis argumentis evincit, hanc epistolam non Julio, sed Apollinari esse tribuendam. Act. 8 de Sectis contra Eutychianae haereseos asseclas ita disseruit: „Afferunt illud quoque dictum, velut a B. Julio profectum, quod exstat in epistola scripta ad Dionysium Corinthi episcopum, cuius initium est: Miror de quibusdam audiens etc. Estque dictum hujusmodi: „„Necessere est eos, quum duas naturas dicant, unam adorare etc.““ Aliaque plura isthaec epistola continet. Sed nos plurimis argumentis convincimus, illam epistolam non esse B. Julii, sed Apollinaris.“

Argumenta, quibus usus est, haec sunt:

Nihil ibi occurrere Julii nomine dignum; non hanc tantum, sed et alias septem epistolas Julio esse suppositas, quae tamen Apollinaris re vera sint; in tota hac epistola Christi quidem corpus nominari, sed mentem vel animum humanum huic corpori nusquam tribui, Patrum autem illius saeculi morem fuisse, ubi corporis mentionem fecerint, illud animatum, mente praeditum dicere. — Ad quod argumentum corroborandum adducimus, nostrae epistolae auctorem apertis verbis in Christo animam humanam non esse statuendam, exposuisse, nam: Οὐτε γὰρ, inquit, τὸ σῶμα καθ' ἔστι τοῦ ἐνδὲ Χριστοῦ, ἐπεὶ μηδὲ ζωοποιὸν καθ' ἔστι, μηδὲ διατέμνεσθαι δυνάμενον ἀνει τοῦ ζωοποιοῦ Λόγου. — Gravissimum argumentum est, Gregorium Nyssenum in opere contra Apollinarem multa ceu prava refutare, quae in hac epistola legantur. Sic e. g. Gregorius § 13 de Apollinari dicit: μίαν ἐποίησε τοῦ Θεοῦ τε καὶ τοῦ ἀνθρώπου τὴν φύσιν; § 31: Ἡμᾶς (i. e. καθολικὸν), φησὶ, δύο πρόσωπα λέγειν τὸν Θεόν, καὶ τὸν παρὰ τὸν Θεοῦ προσληφθέντα ἀνθρώπον. αὐτὸν δέ, φησι, μὴ οὕτως ἔχειν, ἀλλὰ φάσκειν τὸν σαρκωθέντα καὶ ὅντα οὐχ ἐτερον παρὰ τὸν ἀσώματον, ἀλλὰ τὸν αὐτὸν καθ' ὅμοιωσιν ἡμετέρας ἐν σαρκὶ ζωῆς. Ille enim haeresiarcha, catholicos, quippe qui duas naturas non confusas ponant in Christo, duas quoque personas

statuere censem. Notandum quidem est, nonnullos patres, e.g. Rusticum diaconum, Leontium, Theorianum, imo Athanasium (in symbolo: „Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus“) exemplum ab homine ex anima et corpore composito petitum ad demonstrandam Dei Verbi et hominis unionem adhibuisse: nemo autem eorum hac compositione unam tantum in Christo naturam effici dixit. — Argumentum, quo probetur, hanc epistolam non Julio sed Apollinari tribuendam esse, luculentissimum deducitur ex Gregorii Nyss. contra fraudes Apollinaristarum libro, quum ejus initio Valentinus, Apollinaris discipulus multa testimonia „domini Apollinaris“ afferat, et inter ea unum „ex epistola ad Dionysium, cuius principium: „„Mihi argumentum amicitiae““ et alterum „ex alia ad eundem data epistola, cuius principium: „„Admiror, quum de quibusdam audio, confiteri quidem Deum in carne, labi autem errore in divisione prave a Pauliastis introducta.““

Denique, Julio ecclesiam gubernante, ut supra jam dictum est, haeresis Ariana floruit; at hujus in hac epistola mentio non fit, imo ex ea elucet, omnes concedere Dei Filium, Deo parem, carnem induisse, neque nisi de modo quo incarnationis facta, controversiam moveri; id quod ad Julii tempora omnino non quadrat.

Dubium igitur esse non potest, cui haec epistola sit tribuenda: Apollinaris ejus auctor fuit, Julio autem est supposita ab ejus asseclis, qui postea a Theodoto patriarcha Antiocheno in communionem recepti, retentis clam erroribus Eutychianae vel Monophysitarum haereseos fundamenta posuerunt.

At quis fuit Dionysius, ad quem haec epistola est data? Illum presbyterum, non episcopum fuisse, ex eo, quod Timotheus et Valentinus, Apollinaris discipuli, eum nunquam episcopum, sed Apollinaris tantum familiarem appellant, et Genadius Massiliensis, Hypatius Ephesus, Eulogius Alexandrinus eum non episcopi nomine nuncupant, concludendum videntur. Alia vero adversantur.

In S. J. collegio Parisiensi exstat antiqui auctoris contra Monophysitas collectaneorum exemplar graecum, in quo ad titulum hujus epistolae adnotata sunt: *Ἴραγητι γὰρ οὕτως Ἀπο-*

*λινάριος.* Τῷ δεσπότῃ μον τῷ ποθεινοτάτῳ συλλειτουργῷ Ιαννούσιῳ Ἀπολινάριος· οὐτοι δὲ οἱ πλαστονοργήσαντες πεποίησασιν· Ιούλιος ἐπίσκοπος ἐν Χριστῷ χαίρειν. (Conf. titulus, quem textus syriacus exhibet; in textu graeco titulus non exstat.) Qua ex inscriptione elucet, illum fuisse episcopum, quod Apollinaris episcopus illum δεσπότην et συλλειτουργὸν (dominum et comministrum, collegam) quo nomine episcopi episcopum alloqui solebant, appellat. Leontius Dionysium Corinthiorum, Joannes Antiochenus patriarcha Cypri (v. s.), Ambrosiani codicis inscriptio Alexandriae episcopum vocant. At Alexandrinae ecclesiae, Julio et Apollinari viventibus, nullus Dionysius praefuit; item Corinthi episcopus, cui Dionysii nomen fuerit, notus non est illis temporibus; nihil igitur est, quo hujus Dionysii sedem definire possimus.

### De epistola ad Prosdocium data.

In archetypo graeco, in Ephesinae synodi actis, apud Eulogium Alexandrinum πρὸς Λόξιον, ad Docium, scriptum est; sed cum Facundo, Mario Mercatore aliisque antiquis synodi supra laudatae interpretibus latinis πρὸς Ηροδόζιον legendum esse, ex salutatione, quae in ipso archetypo graeco Ηροδόζιῳ, non Λοξίῳ exhibet, liquet. Supra jam notavimus, ex hac epistola locum quandam, sed praeter hunc nihil aliud in Concilio Ephesino contra Nestorium esse allegatum. Illum locum a Cyrillo Alexandrino excerptum esse, Hypatius Ephesinus (v. s.) nec non Eulogius Alexandrinus (apud Photium, cod. 230) testantur. Ipso concilio audiente lectum et una cum aliis Patrum testimoniis actis insertum esse, constat. Qua de causa Marius Mercator, Vincentius Lirinensis, Facundus, Hypatius, Eulogius illam epistolam Julii genuinam habuerunt; itemque Ephraemus Antiochenus patriarcha (saec. VI vivens, non commutandus cum Ephraemo Syro, diacono, Valente imperatore defuncto) lib. III de sacris legibus, apud Photium cod. 229, ipsam Julio tribuit. Plura quoque ex illa ut ex genuina Julii epistola affert Anastasius, presbyter quidam in Eclog. τῶν χρῆσεων περὶ τῆς θείας θεολογίας ep. XXXVIII, sed illam ad Acacium quandam scriptam putat, quam scribat:

*Ιοντίου ἐπισκόπου Ρώμης ἐξ τῆς πρὸς Ἀναστασίου ἐπιστολῆς.*  
*(Collectanea hujus Anastasii asservantur in bibl. colleg. Paris. S. J.)*

Leontius vero hanc epistolam Timotheo, Apollinaris discipulo, quam B. Julio tribuere mavult, quamvis dicat, illam nihil continere, quod Julio indignum sit: „Enimvero, inquit, quum nihil nobis illa aduersetur, quod eam Julii dicunt, flocci faciendum est.“ Sed quomodo in Concilio allegari potuit haec epistola, si, ut Leontius vult, genuina non est? Observandum est, a synodo de ejus auctore quaestionem non institutam esse, sed Cyrillum solum ex epistola nostra locum laudatum excerptisse. Totā vero epistolā talibus verbis concinnatā, ut genuina haberi possit, Cyrillum esse deceptum, quid mirum est? Nam quum verisimile sit, hanc solam epistolam, in qua nihil aperte falsum, tunc temporis divulgatam fuisse, non erat, cur Cyrus inscriptioni diffideret. Prima autem haec suppositio tam bene effecta Apollinaristis, ut artes suas saepius adhiberent, incitamento fuisse videtur. At com pluribus epistolis sub Julii nomine divulgatis, Apollinaris sententias exponentibus, fidei orthodoxae defensores, ut de vero earum auctore quaestiones instituerent, coacti sunt. Qua re diligenter tractata, Leontius epistolam nostram suppositam cognovit. — Causae, cur haec epistola Apollinaristis tribuenda videatur, sunt: Corpus nusquam animatum, mente praeditum dicitur; de Filii divinitate non disceptatur, sed Filius Deus verus creditur; „nec ipsa phasis, ut auctor anonymous annotavit, (Julio) convenit tanquam conversa e latino, cum sit nimis graeca.“ Ex eo, quod in prioribus verbis Spiritus Sancti deitas paullo operosius probatur, concludendum videtur, scriptum hoc non antequam Macedonius Spiritum Deum esse negare coeperit, esse concinnatum, i. e. non ante annum 360, Julio jamjam mortuo. Quae sententia iis, quae Sozomenus H. E. lib. VI, c. 22 narrat, ut in Cappadocia et in Ponto Basiliū et Gregorium, ita et in Syria Apollinarem Laodicenum Spiritus Sancti deitatem acerrime defendisse, corroboratur. Denique verba hujus epistolae esse ita concinnata, ut Apollinaris sententiae erroneae subaudiri possint, attento animo legentem vix effugiet.

Quod sub III legitur fragmentum, caeteris epistolis plane simile est. Textum graecum non inveni.

### **Epistola encyclica**

sub IV notata, ab Angelo Maio Scriptt. vett. nov. coll. VII primum edita est et fragmentum esse videtur. In libro, cui titulus: **Opera, quae exstant, universa Constantini Magni etc.** (v. s.) cum epistolis, sub VI et VII allatis, quaestione non instituta, genuinis adnumeratur. Angelus Maius illas suppositas haberi mavult. Encyclica illa, quod equidem sciam, a nullo scriptore vetere allegatur. Inscriptionem quidem multo melius, quam ad Dionysium datae epistolae, ad Romanorum pontificum consuetudinem quadrare concedendum est. At quum in allegando Hoseae loco multo magis cum Septuaginta interpretibus, quam cum Vulgata versione, quae melius transluit, auctor consentiat, hanc epistolam in Italia vel Romae conscriptam esse, verisimile non videtur. De ejus auctore statuere certi nihil possumus, sed a vero aberrare non vide-  
mur, eam septem illis suppositis epistolis, quas Leontius vidit adnumerantes.

### **Epistola sub V enumerata,**

graece nondum inventa videtur. Auctor hoc scripto pugnat contra eos, qui Jesum solum hominem, non Deum credunt. Quae quidem ad Julii tempora quadrare videntur, sed omnibus externis argumentis deficientibus, certi quidquam de ejus auctore statui vix potest.

### **Epistolarum notis VI et VII**

insignitarum, quas graecas Angelus Maius primus edidit, mentionem facit Ephraemus Antiochenus (v. s.). Qui in epistola quadam ad Domnum et Joannem, ut probet, Christum Deum et hominem, humanam divinamque naturam in eo conjunctas esse, Patrum effata, in iisque St. Julii τὰ περὶ τῆς ἐν Χριστῷ ἑνάσεως τοῦ σώματος πρὸς τὴν θεότητα (VII) allegat, et si nonnulla sint, in St. Julii scriptis, quibus haeretici abuti soleant, sanam doctrinam in iis inesse evincere studet, atque a Julio ἐν τῷ λόγῳ τῷ περὶ ὁμοουσίον (VI) non solum Marcionem

et Valentimum, sed etiam Apollinarem et Eutychem refutatos fuisse affirmat. At ex sermone de consubstantiali locus, quem allegat, non epistolae nostrae VI, sed epistolae de unione in Christo (VII) pars ultima est. Unde elucere videtur, Ephraemum non ipsas epistolas integras, sed locos nonnullos ex illis excerptos legisse.

Inter doctrinam, his epistolis allatam eamque, quae praecedentibus traditur, multum interest. In epistola VI corpus Christi animatum et mente humana praeditum dicitur, locus autem ille epistolae VII: οὗτος γὰρ ἔζησεν τὸ σῶμα Θεότητος ἀγιασμῷ, καὶ οὐκ ἀνθρωπίνης ψυχῆς κατασκεψῇ, ex quo Leonitus Apollinaris hoc scriptum esse arguit, parum quadrat ad contextum, et corruptus habendus, vel fortasse ejiciendus est, praesertim quum textus, quem Syrus interpres secutus est, corpus „ratione praeditum“ appellans, sibi contradicere videatur. Maria virgo in his duabus epistolis Deipara<sup>\*)</sup> appellatur, quod nomen in antecedentibus epistolis, quamquam ejus adhibendi occasio saepius adfuit, non occurrit. Non hominem solum, sed Deum ipsum, Patri consubstantialem Filium a Maria virginе natum, a Judaeis crucifixum esse, auctor affirmat.

Quibus consideratis, has epistolas contra Nestorium conscriptas, itaque non Julio, sed alicui eorum, qui postea in Monophysitarum haeresin inciderint, tribuendas esse, fortasse existimes.

In titulo syriacae versionis epistola sub VII allata „quinta“ appellatur.

---

<sup>\*)</sup> Θεοτόκος, Deipara, Dei genitrix ante Nestorium jamjam apud Dionysium Alexandrinum (med. tertio saec.) et apud Gregorios Nazianzenum et Nyssemum occurrit. Cf. Suiceri Thesaur. s. v. Θεοτόκος.

Sancti Julii, Episcopi Romani epistolae.

## I.

**Domino, dilecto, filio presbyterii mei, Dionysio Julius episcopus Romanus in Domino nostro salutem.**

Admiratione affectus sum, quod comperi, aliquos, confitentes Deum incarnatum esse Dominum nostrum, in illam distinctionem incidisse, quae perverse ab illis, qui Pauli partes agunt, processit. Illi enim Paulo Samosateno addicti, alium dicunt illum coelestem, quem Deum esse confitentur, alium hominem terrenum, quum perhibeant, illum non creatum esse, hunc creatum, illum aeternum, hunc hesternum, illum dominum, hunc servum, ita ut peccent, sive adorant, quem dicunt servum et creatum, sive non adorant, qui sanguine suo nos redemit. Qui enim, Deum coelestem esse ex virgine incarnatum et unum factum cum carne sua, profitentur, temere turbas efficiunt, in verba illorum nefaria incidentes. Duas enim naturas et illi, sicut audivi, contendunt, quamvis St. Joannes unum esse D. N. aperte profitetur verbis<sup>\*)</sup>: „Verbum caro factum est,” et Paulus, dicens<sup>\*\*)</sup>: „Unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia.“ Si enim ille, qui ex beata virgine natus est, unus nominatur et hic est, per quem omnia

<sup>\*)</sup> Evang. Joan. I, 14.

<sup>\*\*) I Cor. VIII, 6.</sup>

facta sunt, profecto una natura est, quia una persona est, separationi in duas non obnoxia, quum neque corpus solum neque Deitas sola singulae naturae sint, carne assumpta, sed sicut homo una tantum est natura, ita et Christus, quippe qui in forma humana exstiterit. Si vero quod per unionem unum est, non agnoscunt, etiam in multa unum dividere et multas naturas contendere possunt; quia multitudo specierum est corpus, ex ossibus, nervis, venis, carne, cute, unguibus, crinibus, sanguine, spiritu constans; quae omnia, quamquam differunt, tamen non nisi unam naturam efficiunt. Itaque et veritas divina cum corpore unum est, et in duas naturas non distinguitur. Nullo modo enim totus filius hominis, qui de coelo descendit, aut totus filius Dei ex muliere natus nominari posset, si distinctionem duarum naturarum subiret, sed illud, quod descendit de coelo \*), filius Dei, non filius hominis nominaretur, et illud, quod natum est ex muliere, filius hominis, non filius Dei nominaretur. Quod accedit ad Paulistarum distinctionem. Divinae vero scripturae Dominum tum ad ejus descensum de coelo, tum ad ejus ex muliere ortum non nisi unum cogitare nos jubent. Qui igitur ita statuunt, caveant, ne eorum, qui de quaque re dissentiant, opinioni accedant, ne, justae quidem sententiae addicti, verbis tamen blasphemant. Necesse enim est, ut duas naturas statuentes alteram adorent, alteram vero non adorent, in illam divinam baptizentur, in hanc humanam non baptizentur. Si vero in mortem Domini nostri baptizamur, unam tum Deitatis, quae passionis expers, tum carnis, quae passioni obnoxia est, naturam profitemur, ut in Deum fiat baptisma nostrum, quippe quod in mortem Domini nostri perficiatur. Non enim timemus calumniatores, Dominum nostrum in duas personas distinguentes, si nobis consensum Evangelistarum et Apostolorum asserentibus, conviciantur, acsi carnem de coelo esse dicamus, quum legamus, scripturas divinas dicere, filium hominis de coelo descendisse. Neque filium Dei ex muliere natum dicentes, conviciis peti possumus, acsi Verbum de terra, non de coelo (ortum) dicamus. Dicimus enim utrumque: et totum

\*) Gr. ἀλλὰ τὸ μὲν οὐταρβεβηκός.

descendisse de coelo ob divinitatem, et totum ex muliere natum ob carnem, separationem unius personae nescientes neque a coelesti terrenum, neque a terreno coeleste dissecantes; impia enim est haec separatio. Non igitur separantibus causam praebeant, duas naturas statuentes. Nam neque corpus per semet ipsum est natura, quippe quum ne vivificum quidem sit per se ipsum, ita ut a causa vivificante separari non possit; neque Verbum per semet ipsum, ut naturam propriam efficiat, quae in eo, quod est non corporeum, sit posita, separatum est, quippe quum in carne fuerit Dominus noster, neque incorporeus in mundum venerit; neque corpus ejus creatum a Deitate non creata separatum fuit, ut quis naturam ejus creatam secernere possit; neque Verbum increatum sine corpore (in mundum) venit, ut quis inter naturam increatam et creatam distinguat. Si vero utrumque unum est unione, conjunctione, compositione formae humanae, unum etiam nomen composito convenit, a divinitate, illum esse non creatum, a corpore, illum esse creatum, item a divinitate, illum non passibilem, a corpore, illum esse passibilem. Sicut enim Paulum Christum passibilem nominare audientes non separatim intelligimus, neque Deitatem passibilem ducimus, ita etiam eum creatum et servum esse, non separatim asseveratum est, neque ille Deitatem creatam et servam fecit. Item effatum, eum esse non creatum, neque carnem increatam facit, nec sensu separationis de divinitate sola dictum est. Qui ita sentiunt, quieti maneant, a supervacanea disputatione recedentes, ne vocum causa dogmata discerpamus, quae communia atque consentienter credita sunt, corpus scilicet ex virgine natum esse, Divinitatem vero de coelo, corpus esse formatum in utero, Divinitatem ab aeterno increatam, ita ut, Verbo corpori unito, indivisa maneat Divinitas. Quum vero scripturae mos sit, et de toto tanquam de Deo, et de toto tanquam de homine loqui, verba divina sequamur, neque inseparabile separemus, nec Divinitatem, quasi ad (majorem) gloriam a corpore sejungamus, quando corpus ex utero effectum dicitur; neque etiam corpus quasi ad confitendum adventum (ortum) a Divinitate sejungamus, quando Divinitas increata praedicitur. Alterum enim in nomine imponendo alterius particeps

factum est ob unam unitatem, neque incorporeo cum corporeo, nec corporeo cum incorporeo commutato. Quomodo igitur non dolendum est, haec tam recte professos propter verba inter se litigare, quum alteri nomen corporis de Verbo adhibeant, quemadmodum Joannes dicit: Verbum caro factum est, alteri Divinitatis nomen ad carnem Verbi referant, quemadmodum Paulus dicit<sup>\*)</sup>: „Adam novissimus in spiritum vivificantem.“ Christus se in carne patrem adorasse affirmat, dicens<sup>\*\*)</sup>: „Nos adoramus, quod scimus,“ nec separatur Deitas. Adoratur (Christus) secundum Deitatem neque corpus in adoranda Deitate sejungitur. Nec excludimus corpus, quando adoramus (fieri enim non potest), quum corpus sit, passum, neque separatur Deitas, nam unita est<sup>\*\*\*</sup>). Opus enim fuit, mortem a Deo vinci, et victa est.

Admonete igitur illos, qui de his inaniter litigant, et professio fidei propter verba non dilacerata servetur. Fide enim discrepantes, se consentire, verbis simulare, hoc est impium, et fide concordantes verbis litigare, hoc vanum et stultum est. Hoc igitur integre tenentes, Deum esse incarnatum Dominum nostrum, et de coelo et de terra eundem ipsum, secundum formam servum, secundum virtutem Deum, concordes manent, neve inaniter litigent, neve in verborum concertationem haereticorum incident, sed potius simplicitatis ecclesiae studiosi sint. Vale, mi Domine!

## II. Eiusdem, quam ad Prosdocium dedit, epistola.

Dilecto Prosdocio Julius in Domino nostro salutem. Sententia nostra secundum traditionem apostolicam haec est: Patris et Filii et Spiritus sancti una est vera Deitas, una ado-

<sup>\*)</sup> I Cor. XV, 45.

<sup>\*\*)</sup> Ev. Joan. IV, 22 (23).

<sup>\*\*\*</sup>) Text. graec: οὐτε ἀφιστῶμεν τὸ σῶμα (οὐδὲ γὰρ δυνατὸν), οὔτε προσκονοῦμεν, τοῦ σώματος τοῦ πεπονθότος, καὶ οὐ χωρίζεται ἡ θεότης, ἥνωται γὰρ. Muratorius non recte verit: „Neque sejungimus a Deitate corpus (non enim fieri potest), quando illud mortem passum adoramus. προσκυνεῖν construi solet cum accusativo, nonnunquam, ut saepius in N. T. cum dativo (cf. Matth. 2, 8; 11, Joan. 4, 22; 24; Lue. 4, 8); τοῦ σώματος τοῦ (fortasse τοῦ ejiciendum) πεπονθότος Genitivi absoluti sunt.

ratio et gloria Filii apud Patrem in adorando Spiritu sancto. Is vero, qui aliam Deitatem inducit, anathema sit! Item is, qui addit laudem aliam praeter voces Seraphim, qui verbis<sup>\*)</sup>: „Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Zebaoth! Plena est universa terra gloria ejus“ Trinitatem divinam laudibus effe- runt, ut Joannes et Paulus testantur, quippe quum Joannes dicat<sup>\*\*)</sup>, gloriam Filii laudibus celebratam vidiisse prophetam, Paulus<sup>\*\*\*</sup>) autem Spiritus sancti laudes eorum esse doceat, dicens, Spiritus sancti fuisse verba, quae pronuntiata sint ab eo, qui visus et glorificatus fuerit. Quia gloria Spiritus sancti gloria Filii est, et Filii gloria Patris gloria est, et ea de causa una substantia Trinitatis a synodo per orbem pronuntiata est. Quicunque igitur a substantia ejus, qui solus Deus est, Filium et Spiritum separat, perinde acsi ex ejus voluntate sint, sicuti nos, neque ex eadem substantia, sed acsi illi tantum similes sint, anathema sit! Praedicatur autem ad plenitudinem fidei (**Deus**) etiam incarnatus ex Maria virgine et habitans inter homines, non operatus per hominem; hoc enim in prophetis et apostolis locum habet. Deus perfectus secundum carnem et homo perfectus secundum spiritum, non duo filii, alter scilicet verus filius, qui assumpserit carnem, alter autem homo mortalis, qui a Deo assumptus sit, sed unus Unigenitus in terra Deus; Deus in veritate, homo in forma carnali, qui in forma sua mundo vitam dedit accepto Spiritu sancto, quem inspirando donavit. Ut homo in habitu humano, ita et rex est coelestium, terrestrium et eorum, qui subter terram sunt, qui ab omnibus ut unus et unicus Dominus laudatur in gloriam Patris nostri. Si quis igitur hominem a Deo assumptum dicat Jesum, qui ex Maria natus est, et duas perfectas perso- nas esse unitas, sciat, se spei divinae expertem esse. Nam Deus Verbum, per quem omnia facta sunt, Jesus est, per quem omnia facta sunt, sicuti Joannes et Paulus docuerunt, non di- centes, Verbum assumpsisse Jesum, ex Maria natum, sed illud venisse in mundum, ex muliere factum, neque illud coeleste

<sup>\*)</sup> Jes. VI, 3.

<sup>\*\*)</sup> Evang. Joan. XII, 41.

<sup>\*\*\*</sup> Act. Apost. XXVIII, 25, cf. Jes. VI, 9.

habitasse in homine ex humo facto, terreno, sed illum (Christum) secundum Adamum coelestem esse. Et quia coeleste est Verbum illud, cui caro fuit ab eo, qui ex Maria natus est<sup>\*)</sup>, etiam nos per hoc coeleste colestes ad ipsius imaginem facit, quem simus terreni. Vocati enim sumus ad communio-nem filii Dei, qui et ipse nobiscum particeps factus est mortis et crucis, homini debitae, quem sit Dominus gloriae. Minime instar omnis hominis a morte correptus est, sed destruens mortem et illustrans vitam<sup>\*\*) et incorruptionem et victoriam nobis dedit.</sup>

Anathema quoque<sup>\*\*\*)</sup> is sit, quicunque hominem ex Maria natum Deum incarnatum esse non profitetur, consubstantialem<sup>†</sup>) Patri, in principio existentem, Deum autem non immutatum carnis assumptione, in passionibus impatibilem. Eodem vero modo anathema sit et is, qui dicit, Salvatoris nostri carnem non ex Maria esse assumptam, sed coelestem, aut qui increatum naturâ creatum et ex nihilo factum dicit. Qui vero ob unionem cum Deo corpus divinum dicit et in utroque (i. e. in forma Dei et in forma hominis) ut unum Deum increatum adorat: beatus est, quia<sup>††</sup>) non carne et passionibus ejus offensus est, sed eum qui extra corpus adorandus est, etiam cum corpore unitum adorat ut unum et unicum Dei Filium ab aeternitate usque in aeterna saecula. Profiteri praeterea didicimus adventum ejus secundum ex instru-tione in sancto baptisme accepta.

<sup>\*)</sup> Gr.: cui caro ex Maria fuit.

<sup>\*\*) Gr. παὶ φῶς καὶ γενὴν . . . διδούσ. Syrus, ut in epist. IV legit: φωτίσας γενήν.</sup>

<sup>\*\*\*)</sup> Gr. ὄστε.

<sup>†</sup>) Verbis حُكْمٌ هُنْدَرْ سyrus reddit vocem Concilii Nicaeni ὁμονόιος, quam Latini vertunt consubstantialis. In sacris scripturis haec vox non adhibita est. Christus appellatur حُكْمٌ هُنْدَرْ سyrus consubstantialis Patri, et هُنْدَرْ سyrus nobis consubstantialis. Cf. symbolum St. Athanasii: „Deus ex substantia Patris ante saecula genitus, et homo est ex substantia matris in saeculo natus.“

<sup>††</sup>) Gr. μὴ σκανδαλισθῆς — ἀλλ' αὐτὸν ἀσωμάτως προσκύνει (Imperativ.). Textus syriacus, haec cum antecedenti conjungens, melior videtur.

### III. Ab eodem.

Is qui Christum hominem fuisse dicit, in quo Deus fuerit, impius est, quia unum ex servis Dominum facit et veritatem Divinitatis ejus immutat, acsi factus sit Deus.

### IV. Ex ejusdem epistola encyclica.

Episcopis, qui ubique terrarum sunt, ecclesiae catholicae, fratribus dilectis, Julius in Domino nostro salutem.

Hoc mihi persuasum est de fide vestra, fratres dilecti, eā scilicet de Domino et Deo et rege ex Hoseae prophetae expositione ecclesiastica de Deo Verbo et Patre ut de Domino: „Non deseram, ut deleatur Jacob, quia Deus ego sum, et non homo, sanctus in medio tuo, neque intrabo in urbem; post Dominum ambulabo\*).“ Eadem et iisdem (verbis) dicta sunt illa, quae Deus Verbum, homo factus, iis, qui ipsum non nisi hominem simpliciter sanctum, minime vero Deum esse, sunt professi, respondit, dicens \*\*): „Deus ego sum et non homo.“

Credo, unam Deitatem et substantiam esse celebrandam et adorandam in Trinitate, id est in Patre et in Filio et in Spiritu sancto; (credo) descensum de coelo, incarnationem ex sancta virgine Maria, apparitionem Dei Verbi et Salvatoris nostri Jesu Christi et inter homines ejus, qui Deus idemque homo fuit, manifestationem, non alium Deum, alium hominem

\*<sup>o</sup>) Textus graecus: Οὐ μὴ ἐγναταλείπω τοῦ ἔξαλειφθῆναι τὸν Ἰακώβ. διὰ θεὸς ἡγός εἰμι, καὶ οὐκ ἄνθρωπος, ἐν σοὶ ὄγκος· καὶ οὐκ εἰσελεύσομαι εἰς πόλιν· ὅπισσον πνεύσομαι. Hoseae locus (XI 9. sq.) hebraice sonat: לא אֲשׁׁוֹב לְשַׁחַת אֶפְרַיִם בַּיְלָקָרְבָּךְ קָרוֹשׁ וְלֹא אֲבֹא בְּעֵיר: אֶחָרָיו וְהַזָּה יְלַבֵּי וְנוּ et vertendus est: Non convertam me, ut deleam Ephraim, nam Deus ego sum, non homo, in medio tuo sanctus, neque cum ira veniam. Post Dominum ambulabunt etc. Auctor secutus est LXX versionem, quae exhibet: οὐ μὴ ἐγναταλίπω τοῦ ἔξαλειφθῆναι τὸν Ἐφραῖμ, διὰ θεὸς ἡγός εἰμι, καὶ οὐκ ἄνθρωπος· ἐν σοὶ ὄγκος, καὶ οὐκ εἰσελεύσομαι εἰς πόλιν· ὅπισσον πνεύσομαι, at Ἐφραῖμ commutavit cum Ἰακώβ. Excepto vocabulo בְּעֵיר, quod „in urbem“ vertit, Vulgata versio rectum sensum exhibet.

\*\*) Auctori ante oculos versari videtur Joan. X, 33 sqq.

esse, sed unam hypostasin, unam personam **Dei Verbi** et carnis ex Maria ortae, ex **Deo** et ex muliere ejusdem, patibilis et non patibilis, carne quidem patientis nostramque passionem recipientis, Deitate autem passionem destruentis et morte vivificante mortem nostram tollentis, illustrantis autem vitam et immortalitatem, suavitatem bonorum futurorum et regni coelorum gloriaeque secum divinae hereditatem tribuentis.

### V. Ab eodem.

Adventum **Dei** fideliter credentes, nos hoc apprehendamus, necesse est, et per haeresin non seducemur. Is enim, qui adventum **Dei** ore profitetur et hominem ex muliere natum, similem nobis fuisse mente sua existimat, **Deum** vero non dicit eum, qui ex muliere natus est, fidelibus adversatur et infidelibus est adnumerandus. Nos vero decet conservare fidem divinam sanctorum apostolorum, qui quum vidissent gloriam **Domini nostri** supernaturalem et testimonium coeleste audivissent, praedicarunt mundo **Deum**, qui homo est factus, et **Verbum**, quod est incarnatum. Et **Spiritus** vitam dedit **Domino nostro Jesu**, nullo patre generante, in ortu ejus in terra, quia (**Jesus**) **Deus** est, qui de coelo descendit, neque homo, ex humano semine ortus. Offensus autem est, qui propter carnem et propter passiones ejus Salvatorem immutat, et hominem pro **Deo** eum existimat. Is enim, qui hominem declarat eum, qui natus est, hominemque eum, qui crucifixus est, ipsum in hominem pro **Deo** convertit. Fieri non posset, ut nancisceremur a coelo vitam illam, quae a **Deo** est. Vivificat enim is, qui passus est, vivificat is, qui ex muliere natus est. Per ortum mulierem laetificavit, quippe quae vitam in mundum ediderit, eo autem, quod vir inter viros factus est, viros ad consortium vitae suae ascendere fecit. Per mortem enim mortem vicit, transmutavit autem in vitam resurrectio-  
nis. Itaque si id, quod vivificavit, ex **Deo** est, etiam id, quod mundum instauravit, non aliud quidquam est. Vivificavit autem is, qui natus et crucifixus est; non homo fuit is, quem peperit Maria, neque homo is, quem Judaei cruci affixerunt, sed **Deus** is, qui natus ex muliere, **Deus**, qui est crucifixus a Judaeis.

**VI. Julius, episcopus Romanus ad eos, qui contra divinam Verbi incarnationem ob vocem „consubstantialis“ pugnant.**

Nemo carnem dominicam et vivificantem Domini nostri Iesu Christi contemnit ea de causa, quod consubstantialis est. Nam neque nos, neque synodus nostra, neque quisquam eorum, quibus mens humana est, corpus per se consubstantiale dicit vel aestimat. At non coelestem carnem Domini nostri Iesu Christi dicimus, sed ex beata virgine Maria Deum Verbum esse incarnatum confitemur, neque eum a carne sua separamus, sed ille est una persona, una hypostasis, totus homo. Si ergo in forma hominis Dominum nostrum Jesum Christum ex conceptione virginali (qua de causa Dei genitrix virgo declarata est) venisse credimus, atque hoc est arcanum redemptionis nostrae, Verbum Dei esse incarnatum: non igitur a carne sua separari neque dividi potest, et secundum substantiae naturalis Dei Verbi aequalitatem, quae inter eum et Patrem intercedit, particeps est ipsius caro nominis ejus, cuius caro est. Si enim vere carnem Verbum Dei factum esse profiteremur, sin autem non particeps esset (caro nominis divini), prorsus alienum hoc esset. Neque redemptio ex incarnatione fidelibus eveniret, si extra Trinitatem divinam facta esset. Minime enim adorandum quidquam neque redemptor extra Trinitatem est, sed supervacanea neque necessaria iis incarnatione appareret; facta autem invenirentur ea de causa etiam illa sacrarum scripturarum effata, e. gr.: „Et Verbum caro factum est,“ et<sup>\*</sup>): Natus est nobis hodie Redemptor, Christus Dominus in urbe Davidis; factum quoque esset effatum<sup>\*\*</sup>): „Deus fortis“ et „Puer“ et omnia his similia; neque etiam genitrix Dei virgo crederetur; damnanda autem et nefaria essent talia et ab omni anima Deum reverente aliena. Omnis enim Christianorum spes evanesceret, et Christianismus ipse ad nihilum redigeretur, neque baptismus, donum illud Christianorum magnum ac pretiosum, quod<sup>\*\*\*</sup>) in mortem Christi

<sup>\*</sup>\*) Luc. II, 11, at auctor „nobis“ pro „vobis“ posuit.

<sup>\*\*) Jesaj. IX, 5 (Sept. v. 6).</sup>

<sup>\*\*\*) Gr.: τὸ εἰς τὸν θάνατον τὸν Χριστὸν τελούμενον λοντῷν, θεῖόν τι κτλ.</sup>



peragitur, divinum amplius existimaretur, sed humanum, nisi scilicet Trinitati divinae incarnatio Domini nostri Jesu Christi adnumeranda esset.

